FR. THOMAE MARIAE MAMACHII CHII

ORDINIS PRAEDICATORUM


In Collegio Urbano de Propaganda Fide Philoſophiae Lectoris

364.11

ORATIO

De Ratione Tradendae Philoſophiae deſignatis Orthodoxae Religionis Propagatoribus

Habita in eodem Collegio XVI. Kalendas Decembres MDCCXLIII.



1379

ROMAE, MDCCXLIV.

Typis Joſephi Collini.

SUPERIORUM PERMISSU.

Sanctiſſimo Domino Noſtro

BENEDICTO XIV.

PONT. MAX.

F. THOMAS MARIA MAMACHIUS
FELICITATEM.

REs *quidem ipſa monebat, & magnitudo beneficii, quo me ornatum eſſe voluiſti, maxime poſtulabat*, BENEDICTE PONTIFEX, *ut cum primum fieri poſſet, atque*

liceret, aliquam publice darem ſignificationem grati animi, & obſervantiae erga Te meae. Sed fecit caſus quidam, ut quo tempore conceſſa mihi a Te ipſo facultas eſt explicandae in hoc Urbano Collegio Philoſophiae, nihil haberem, quod proprium inſtituti mei, Tuique muneris amplitudine dignum eſſe videretur. Quare contuli curas, & cogitationes meas ad inveniendum aliquid, quod omnibus gratum eſſe deberet; Tibi autem tanto gratius, quanto majore ſapientia, & gloria ſuſtines Chriſtianae Reipublicae dignitatem. Erat autem, eritque ſemper in ore omnibus, ſic eſſe Te comparatum, ut cum cetera omnia, quae permagni interſunt ad decus, & ſalutem Chriſtiani nominis; tum illud potiſſimum praeſtes: quod praeſtari debuit ſemper ab his, qui fuerunt in eo, in quo Tu es Dei Maximi Optimique Numine poſitus, altiſſimo gradu honoris. Nibil enim Tibi unquam ſanctius fuit, quam ut quae pro-

pagata

pagata ubique fere gentium eſt, eadem latius manet, magiſque confirmetur religio. Praeclara illa volumina, quae abs Te Cardinali edita ſunt, tam multa, tanta doctrina, tanta varietate, & copia rerum ſelectarum; eaeque Conſtitutiones, quibus veteres Chriſtianos ritus Pontifex reſtituiſti; rejectis profanis, qui eſſent cum ſuperſtitione conjuncti; illuſtria argumenta ſunt Tuae in Univerſam Eccleſiam pietatis, cui, ut olim profuiſti ſcribendo; ſic in maximo locatus praeſidio, curas vigilando, gubernandoque prodeſſe. Haec autem cum ſaepe ac multum mecum cogitaſſem; rem Tibi acceptam, aptamque facultati, quam ipſe profiteor; me eſſe facturum putavi; ſi me ad ſcribendam Orationem de tradenda deſignatis Orthodoxae religionis propagatoribus Philoſophia dediſſem. In ea vero ſcribenda ita ſum verſatus: ut ſi elegantiam, politamque rationem dicendi quiſquam; nullus quidem certe, quam-

quam

quam erat id omnino difficile; vim & pondus argumentorum deſideraret. Nam quae pars eſt de conjunctione Philoſophiae cum divinitus data ſcientia; confirmata eſt, multis rationum momentis, majorumque omnium, quos ego ſummopere admiror conſenſione. Altera, quae Inſtitutionis eſt propria, etſi oritur ex illa priore; habet tamen aliquid varium, & ſingulare: adoleſcentibus quidem utile; Tibi autem fortaſſe non injucundum. Itaque habe Tibi BENEDICTE PONTIFEX MAXIME *Orationem Tuo nomini dicatam a me; non quo cenſerem exiguo operi ullum ineſſe pretium poſſe; ſed quo Tibi, ut vires nunc ferunt, quam gratiſſimus eſſe cognoſcerer; quem ego, ſi multis de cauſis non unice obſervarem, ſanctiſſime tamen colerem; quod videam elaborare Te, ut ſit opera, providentiaque Tua is Ordo Clericorum doctior, qui cum Religionem defendat, atque diſſeminet; cenſetur abs Te ceterorum ordinum fir-*

ma-

mamentum. Quoniam vero ea Tua eſt humanitas, ut tanta in altero unquam, non dicam pari; ſed ne multo quidem minore dignitate viro vix reperiri potuerit; confido fore, ut Tibi, qualis qualis eſt, meus hic labor probetur. Id ubi me conſequutum eſſe intellexero; agam non ſolum, ut ſic inſtituantur adoleſcentes a me, quemadmodum illos decerno inſtitui oportere; ſed ut alia Tibi poſthac offeram, quae majora ſint, & non mediocrem afferre noſtris hominibus poſſint utilitatem. Extremum eſt, ut Deum precer, atque implorem, quo Te nobis, populoque Chriſtiano ſoſpitem diu, atque incolumem ſervet: Te vero dum Tuos, SANCTISSIME PATER, *pedes exoſculor, orem etiam atque etiam, ut, quod incredibili humanitate facis, Tuo me patrocinio tueare.*

In Aede Minervae III. Non. Februarias.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. *Maria de Rubeis Archiepiſc. Tarſi Viceſgerens.*

Imprimatur,

Fr. Nicolaus Ridolfi Magiſter Sacri Palatii Apoſtolici Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

ORATIO.

NEMINEM eſſe video ſapientem, beneque inſtitutum hominem, qui cum ad res imprimis certas, omniumque gentium conſenſione firmatas adverterit animum; continuo non intellexerit, nihil eſſe tam clarum, tamque teſtatum, quam fidei, legum, juſtitiae, ſocietatis, rerumque univerſarum, quae bonae in vita ſunt; fundamentum [a] eſſe religionem. Cum enim omnes homines continenter ad malum cupiditate quadam ferantur [b] fierique corruptela malae con-

---

a Pleraque in hanc rem veterum teſtimonia congerunt, qui de J. N & G. lucubrationes ediderunt. Grotius *de J. B. & P. lib. 2. cap. IV. § III* Puſendorfius *lib II de J. N. & G. cap. IV. § III.* & in eumdem Puſendorfii locum Barbeyracius.

b Vitiatam eſſe naturam hominum peccato, ne Ethnici quidem ignorarunt, etſi illos cauſſa vitii praeteriret. Adeundi Petrus Daniel Huetius *de Conc. Rat. & Fidei cap IX. lib. II.* & Tobias Pfannerus *Syſt. Theolog. Gentil. cap. IX. § VI.* Verum etſi peccato corrupta natura fuerit, negari nequit, quin vis quaedam illi etiamnum inſit, qua verum a falſo, bonum a malo, honeſtum a turpi poſſit ſecernere. Hanc ego vim *igniculos a natura datos* appellavi. Conſultor Cicero *in I. De legibus capite XII.*

conſuetudinis ſoleat, ut extinguantur igniculi a natura dati ad parandam virtutem; inde vero contraria vitia exoriantur, & confirmentur; ſublata adverſus Deum religione [a], non ſuum quiſquam tribueret alteri, non fidem, non in judiciis integritatem, non honeſtatem, amicitiam, aequitatem coleret; neque in civitate ſine contagione turpitudinis verſaretur. Quare cum permagni interſit ad ſalutem hominum vitamque tuendam cultus religionis, quid eſt, quod non ſit vehementer curandum, ut vera, quae divinitus ad nos uſque manavit; non ſolum conſervetur, neque ut vetus ille Philoſophus [b] voluit ſolis ſapientibus explicetur; ſed prodeat etiam in vulgus hominum propageturque per univerſum orbem terrarum? Celebranda igitur tot clarorum virorum, maximeque Romanorum Pontificum cura, atque incredibilis diligentia eſt [c], qui ut veram religionem latius diſſeminarent, tan-

a Meritò Indus quidam congreſſus cum Socrate riſit Philoſophi Graeci ſententiam, qui hoc unum poſcebat, ut quiſque humana noſceret. Ita enim homo barbarus erat animo inſtitutus, ut cenſeret μὴ δύνασθαί τινα τὰ ἀνθρώπινα κατιδεῖν, ἀγνοοῦντά γε τὰ θεῖα. *Non poſſe quemquam humana perſpicere, qui ignoret divina.* Adiſis Ariſtoxeum apud Euſebium *libro XI. Praeparationis Evang. capite XIII.* Ineptit etiam, Inſanitque Petrus Baelius, qui ſine ulla religione conſervari poſſe ſocietatem exiſtimat. Quare jure exagitatur a Crouſatio in *Exam. Pyrrhoniſmi Sect. XIV. per tot.*

b Plato. ſic enim habet in Timaeo. τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα, εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. *Opificem quidem, & Patrem omnium invenire difficile eſt, eum autem, qui invenerit omnibus dicere*, ſeu exponere, *impoſſibile*. *Tò impoſſibile*, quoniam latinum non eſt, Cicero in *lib. de Univerſitate Tom. III. Opp. edit. Verburg. in Fol. pag.* 1021. dixit, *nefas*. Eo autem Plato non omnibus exponi rem tantam poſſe pugnavit, quo ſoli ſapientes, illius quidem judicio, eam aſſequi poſſe viderentur. Adeundus *auctor De vitis Philoſophor. in Platone. In Extremo Tom I. opp. Origenis Edit. Benedict. S. Mauri.*

c Plena ſunt monumenta Eccleſiaſtica hiſtoriarum, quae indicent quanta fuerit, jam inde ab exordio Eccleſiae, cura Romanorum Pontificum & confirmandae ubi, jam eſſet fundata, & amplificandae religionis. S. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus apud Euſebium *lib. IV. Hiſtoriae cap. XXII in Epiſt. ad Soterum Papam*: haec vobis „ ab exordio conſuetudo eſt, ut Eccleſiis quamplurimis, quae in quibuſque urbibus conſtitutae ſunt, neceſſaria vitae ſubſidia tranſmittatis „ Similia ſcribit Dionyſius Alexandrinus

tantum induſtriae, laboris, operae, pecuniae conſumſerunt, ut cum ipſi per ſe nequirent, alios, quos virtute illuſtres eſſe cognorant in longe remotas regiones miſerint, infinito pene ſumtu aluerint magno numero Epiſcopos, atque Presbyteros, & varia in Europa Collegia, atque hoc potiſſimum, cujus tanta eſt ubique gentium exiſtimatio [a], atque celebritas inſtituerint, in quo alii, bene liberaliterque educti, & in divinarum rerum ſcientia exercitati adoleſcentes, prodire in conſpectum ſuperſtitioſorum hominum poſſent; eoſque jam ab errore ad veritatem, a deſperatione ad ſpem, a vitiis ad virtutem colendam revocare. Nam ſi illis, qui pro ſalute reipublicae, pro pace, pro patria pugnaverunt, tantum ſolemus

nos facta a S. Stephano I. Syris, & Arabibus: Apud Euſebium *lib VII. c.V.* De propagata autem fide ab iis, quos miſerant Romani Pontifices, conſule S. Innocentium I. *Epiſt XXV. num 2. Edit. Couſtantii Tom I. Epiſt. Roman. Pontif. pag.* 856.

a Nempe Collegii Urbani de Propaganda Fide fundatum eſt a Gregorio XV. *an.* 1622. poſt interceptos labores Clementis VIII. & Pauli V. Summorum Pontificum. Multi hùc confluunt variarum gentium adoleſcentes, ut inſtitui, aptique eſſe poſſint ad tuendam, dilatandamque religionem. Incredibile autem eſt quot viri, quanta ſcientia, & pietate inde exierint, qui & haereticos Patriarchas, Epiſcopos, & Magnates, & Ethnicos ſane multos ad veram religionem converterunt. Dixi pleraque alia a Summis Pontificibus generis ejuſdem Collegia inſtituta fuiſſe, quod multa etiamnum in Europa vigeant. Solus Gregorius XV. vigintitria a fundamentis erexit. Videſis Thomam a Jeſu libro III. *De Converſ. omnium Gentium cap. III.* Johannes Henricus Schererus S. J. *in Hierarchia Geograph* ſive *Athlan. Novo Tom. II pag* 240. octoginta, recenſet, quae ſua aetate extabant. Plura inde nova condita ſunt. Scimus autem nos, quod fuerit noſtra aetate ſtudium Romanorum Pontificum aut in extruendis novis, aut in antiquis reſtituendis. Nota eſt in ea re cura Clementis XI. Benedicti XIII. Clementis XII & Benedicti XIV. Eam autem, ne ipſi quidem haeretici carpere auſi ſunt. Immo vero, qui minus acres fuerunt, laudandam putarunt eſſe. Quare Johannes Albertus Fabricius homo de haereſi Lutheranorum. *In ſalutar. Lucae Evangel. cap XXIV. pag.* 224. „ Non poteſt, *inquit*, Ro„ manis Pontificibus denegari laus „ magna ſtudii idololatriam, & pa„ ganas ſuperſtitiones abolendi, „ quam multis rebus, & magnis, & „ variis in locis ſunt teſtati, ut ge„ ſta Romanorum Pontificum, & plerarumque gentium Annales referunt.

lemus impertire laudis, quantum viris fortiſſimis, atque ornatiſſimis debeatur; quid eſt, quod ſummae gloriae laude cumulandi non ſint, qui ad amplificandam divinam religionem, nihil aſſiduitatis, nihil laboris, nihil induſtriae praetermiſerunt? Erit igitur ſemper maximum illorum nomen, qui ſuas facultates, qui bona fortunae, qui vitam ſuam in tot pericula Chriſtianae religionis cauſſa conjecerunt. Maxima laus Romanorum Pontificum, atque hujus, qui nunc tanta providentia, prudentiaque univerſam Eccleſiam regit [a], ac moderatur. Maxima item Eminentiſſimorum Patrum, qui huic Collegio, & Congregationi tanta cum ſalute Chriſtianae Reipublicae praeſunt. Nec ſua meis hiſce Collegis adimenda eſt gloria, quae ſcilicet magna eſt; qui ſtudia quaeque ſua ad excolendas tot juvenum ſplendido, excellentique ingenio praeditorum mentes, contulerunt, ut idonei propagatores fidei eſſe poſſint. Ego vero etſi verear, ne quis me laudem quaerere arbitretur; dum tamen vera praedicem,

---

a Benedictum XIV. P. M. dico qui ſumma ope conatus hactenus eſt, conabiturque dum vivet, Orthodoxae fidei limites dilatare. Nam etſi amor, quo erga ſubditos fertur, efficiat, ut commodis reipublicae, ac felicitati proſpicere numquam deſiſtat, ne quid eveniat, quod populo grave ſit, non tamen is eſt, qui praecipuum ſuum munus priore ſemper loco non habeat. Itaque & dum Cardinalis erat, libros ſempiterna memoria dignos, quos vel haeretici Lipſienſes magnis laudibus proſequuti ſunt, edidit, quibus ritus, & dogmata Catholicae Eccleſiae illuſtraret, eaque praeſertim, quae ſunt de Sanctorum Apotheoſi, quaeque magno omnibus uſui ſunt, & factus Pontifex Conſtitutiones promulgavit, quibus Graecos inſtruxit, quemadmodum in Italia cum ſint, exercere ſuum debeant ritum, damnavitque ſuperſtitiones, quae impedire poterant veri cultus propagationem. Legavit autem *Miſſionarios*, qui Catholicum nomen ad extremas uſque regiones perferrent. Itaque Patriarcham Armenorum verae religioni addictum, & ad ſuos pedes provolutum vidit, quem ſumma, uti ſolet, benevolentia complexus eſt; Integram Judaei familiam per ſe Ipſe Baptiſmo initiavit, multaque alia, generis ejuſdem perfecit, quae tacitus praetermitto, quod paucis omnia comprehendere *arduum* ſit, nolimque eſſe longior quam oporteat. Aliorum erit ſingillatim omnia perſequi, qui dicendi facultate praeſtant, commendaturique ſunt praeclara tanti Pontificis acta memoriae poſterorum.

dicem, vincam ipſe me, aperteque dicam quod ſentio. Mihi etiam, ſi non magna, at aliqua ſaltem laus tribuenda eſt, cui cum tantum munus delatum ſit, quantum ego virium mearum tenuitate ſuſtinere vix poſſum; ſic ago: ut quamvis non ingenii facultate; praeſtem tamen me diligentia talem, qualem ſapientiſſimi, & ampliſſima dignitate Patres eſſe voluerunt. Nam cum graviſſimis viris Collegis meis datum eſt, ut Theologiam, Scripturaſque divinas docerent, in quibus diſciplinis admirabili quadam doctrina, & eruditione verſantur; tum mihi adſignatum eſt, ut explicem Philoſophiam. Quam facultatem ita equidem trado, nihil ut exponam, quod ſit alienum ab inſtituto hujuſce loci; nihil omittam, quod ad commodum, confirmationemque religionis conducere videatur. Atque ut omnes intelligant id unum poſtulare me, quod mihi jure quodam meo debetur: oſtendam hac mea oratione, quemadmodum inſtituendi in philoſophicis ſint, deſignati Catholicae Religionis propagatores. Quod cum demonſtrare aggredior; tum obſecro vos, quae veſtra eſt humanitas, ſic ut me audiatis, quaſi quiſque veſtrum id me opere perficere intueretur; quod ſtatuo fieri a philoſopho in hoc tanto Collegio oportere. Ac ſi dicendo quidem conſequi potero, ut vobis, qui nihil huc praejudicati affertis, ratio haec mea probetur; confido fore, ut quamvis non annumerer iis, qui per ſe ipſi; iu eorum tamen cenſu deſcribar, qui ſua induſtria obtinuerunt, ut late longeque vera religio diffunderetur. Non eſt autem cur mihi verendum eſſe putem, hoc praeſente eruditiſſimo [a] Praeſule; atque his doctiſſimis, ornatiſſimiſque viris; ne mea haec cuiquam minus ſit accepta induſtria, cum ſatis illis compertum exploratumque ſit, quae in Eccleſiam redundare poſſit utilitas ex eo genere ſtudiorum. Tranſiit illud tempus, quo philoſophia a quibuſdam, quaſi eſſet inimica religionis negligebatur. Mutata

ratio

a Nicolao Antonello Praeſule doctiſſimo, tot editis operibus celeberrimo, qui loco doctiſſimi, optimique Praeſulis Nicolai Lercarii *Secretarii*, ut vocant, Sac. Cong. de Prop. Fide partes nunc agit.

ratio eſt. Evulſa ex animis omnium tanta opinio, tam pernicioſa, tam abſurda. Etſi vero id mihi perſuaſum ſit, quod multis variiſque in rebus facile intellexerim; quid de re, quae nunc agitur, & quid etiam de meipſo judicaretis, Auditores; ſi quis tamen forte fortuna eſt, arbitror autem eſſe hoc tempore neminem, qui eam alıorſum, atque ego dicam, acceperit: hunc ego obſecro, ne judicet; niſi prius meam animo viderit, comprehenderitque ſententiam. Quod ſi quiſquam eſt, qui ſecus eſſe agendum putet: ego id tamen aſſequar, ut maxima pars hominum mihi det operam, idque dictum a me ſit, quod ratio, quod majores noſtri, quod commodum Chriſtianae Reipublicae poſtularet.

II. Principio autem ſic exiſtimo: eum, qui hoc tam gravi dignus nomine eſſe velit, ut ſit, & appelletur praeco Religionis, primum virtute ac ſolida pietate, tum cognitione tanta dogmatum divinorum praeſtare oportere: ut ea non ſolum numerando recenſere poſſit; ſed etiam explicare dilucide, & contra hoſtes Chriſtiani nominis graviter, copioſeque defendere. Sed ſilentio mihi praetermittendum eſt, quod priore loco dixi de pietate: non quod frugiferum imprimis ac ſalutare non ſit: ſed quod hoc tanto Rectore, atque his optimis viris, qui in Collegio praeſunt, non eſt cur quiſquam exiſtimet, adoleſcentes noſtros vacare poſſe praeceptis inſtitutiſque morum, aut neſcire quemadmodum ſe in officio continere debeant, & quam ſequi inſtitutionem, ad bene, beateque vivendum. De ſcientia rerum divinarum quod dictum eſt, hoc ego, pro viribus ingenii mei, quod ſentio quam ſit exiguum, gravi, atque diſtincta perſequar oratione: cum maximo mihi praeſidio eſſe poſſit, ut facile quo volo perveniam.

III. Ego igitur, quantum ratione aſſequi poſſum, praecones quidem religionis dici pleroſque intelligo, praeconem autem religionis, niſi qui divina decreta complectatur animo, eaque jam explicate proponat, refellatque, quae contra a pugnacibus inimicis jactantur; intelligo eſſe neminem. Haec vero vis, atque haec tanta in exponendis retruſis, abdi-

abditiſque rebus facultas, atque ſcientia, non ineſt cuiquam natura; ſed diuturno ſtudio, atque labore paratur ab iis, qui Sacra Biblia, qui Canones Synodorum, qui Romanorum Pontificum Decreta, qui Patrum Opera, non modo pervolverint; ſed etiam penitus comprehenderint, qui diligenti perveſtigatione, & inquiſierint, & nacti ſint omnes rerum omnium fontes, quae ad veritatem acute ſapienterque tuendam pertinerent. Non eo dico, quo verear, ne a quoquam illorum, qui adſunt, quorum tam eſt abundans in omnibus diſciplinis doctrina, ignorari; neminem in numero praeconum religionis haberi oportere, niſi qui haec tam magna, tamque multa profiteretur. Quid ergo eſt? Summam illam variarum, reconditarumque rerum cognitionem, atque ſcientiam, qui animo continere voluerit, ei ſcilicet ad philoſophiae confugiendum eſt facultatem. Quot enim ſunt in Scripturis? quot in Patrum operibus aut argumenta, aut pronunciata, quae vel e media obſcuriore philoſophia depromta ſunt, vel perſpici nequeunt ſine ope, & adjumento philoſophiae? Etſi vero in religione, quae nobis divinitus data eſt, quaerenda ſunt non tam rationis, quam auctoritatis momenta, uti ſine ratione plerumque valeat auctoritas [a]: qui tamen fieri poteſt, ut cum ratio comes, atque miniſtra ſit, non inimica auctoritatis, aut illuſtretur, aut defendatur deſerta, abjectaque philoſophia?

IV. Sed operae pretium eſt, Quirites, cujuſmodi ſit ea, quam philoſophiam Graeci vocant cognoſcere. Eſt ergo illa humanarum divinarumque rerum ratione duce parta ſcientia,

a Etſi pleraque fidei dogmata ratione duce demonſtrari poſſint, cujuſmodi ſunt Dei exiſtantia, animi humani immortalitas &c. multa tamen ſunt, quae naturae ratione probari nequeant: ut myſteria Trinitatis, Incarnationis, & alia horum ſimilia. Proinde ſaepe valere, dixi, ſine ratione auctoritatem. Atque huc ſane ſpectat, quod habet Gregorius Nazianzen. Oratione III. contra Julianum. *pag. 97. Tom. I. opp. Edit. an.* 1690. eodem noſtrum *credere* recidere, quo Pythagoricum *αὐτὸς ἔφα*, *ipſe dixit*.

tia, diviſa in partes quinque [a]. In cogitandi, differendique ſubtilitatem, in figuram, & magnitudinem, in naturae obſcuritatem, in eorum cognitione, quae ſunt a ſenſuum perceptione remota; in vitam denique atque mores. Audiſtis quid ea ſit, & quae ſint partes philoſophiae. Attendite nunc ad ejus diſciplinae cum maximis illis, & graviſſimis ſtudiis conjunctionem. Ego enim cum recte cogitandi rationem doceri, evolvi, atque explicari a philoſophia conſidero, ſi quae ſunt involuta, atque implicata in quovis genere rerum; facile quidem certe perſpicio, caecutire illum oportere, qui expers hujus tantae ſcientiae, animum appulerit ad ſtudia ſcripturarum.

V. Quaero enim num arcana illa volumina, majorumque noſtrorum opera poſſit ſatis explorate cognoſcere, qui neſciat, quae ſint regulae accurate percipiendi? Num dijudicare, aut concludere quidpiam de vera, germanaque ſcriptoris ſententia, qui ignoret, ut conjungendae notiones ſint; & numquam, vel leviter attigerit praecepta argumentorum? Num pernoſcere ſi quae in illis ſunt de ponderibus, de menſuris, de orbibus aſtrorum, de diſtributione deſcriptioneque orbis terrarum, qui ne fando quidem audierit mathematicas facultates? Num aſſequi omnia, quae ad originem materiae, ad foſſilium, ad plantarum, ad animantium rationem pertinent; ſine ope phyſicae diſciplinae? Quid? rerum capitalium pro-

[a] Tres tantum Philoſophiae partes recenſet *Cicero in I. De Oratore cap XV.* Novi Philoſophi in factiones diviſi ſunt. Nam alii plures, alii pauciores numerant. Horum autem multi negant Mathematicas partem ullam conſtituere Philoſophiae. Quibus equidem non aſſentior. Nam qui Mathematicas partem philoſophiae negat eſſe, id ille multo magis de Phyſica neget neceſſe eſt, ut quae obſcura ſaepe, ac implicata ſit. Itaque mihi Ariſtoteles placet, qui eum Logicam organum, moralem autem partem Philoſophiae practicam eſſe ſtatuat: tum *lib. VI. Metaph. cap I.* ait. τρεῖς ἂν εἶεν φιλοσοφίαι θεωρητικαὶ, Μαθηματικὴ, Φυσικὴ, Θεολογική. Tres ſunt Philoſophiae ſpeculativae: Mathematica, Phyſica, Theologica. Metaphyſicam facultatem indicavi, dum dixi *cognitionem eorum, quae ſunt a ſenſuum perceptione remota*, quod in *ente*, ſpiritibuſque conſiderandis verſetur.

pronunciata, quae ſunt de numine mentis infinitae, de perenni vita animorum, de rebus vacantibus corpore, deque moribus hominum; cognoſcine facile poſſunt Metaphyſica, Ethicaque ſublatis? Non ego hic Hieronymum [a]; non alium quemquam veterum Chriſtianorum commemorabo, qui cum magni fuerint, ac nobiles interpretes Scripturarum; pleraque ſe in illis animadvertiſſe dixerunt, quae praeceptis philoſophiae reſponderent. Vobis ego, ſapientiſſimi viri aſſentiar, vos ego auctores vehementer ſequar. Dicite, quae ſint in ſacris, majorumque noſtrorum, quae dies noctesque verſatis, operibus rerum variarum complexiones [b]; quam impeditae, Deus immortalis! quot controverſiis implicatae, quam plenae ad res maximas opportunitatis, ſi quis eam poſſit elicere, & multa colligendo, atque explicando reddere illuſtriorem! Habemus nos quidem libros auctoritate, vetuſtate, praeſtantia maxime obſervandos; refertos phyſicis, aſtronomicis, moralibus rebus, deſcriptis admirabili quodam ordine, ac plane divino; ad quos illuſtrandos ac defendendos conſentiant neceſſe eſt omnes, iique imprimis, qui ſunt amplificaturi Eccleſiae dignitatem. Habemus Patres, qui dum viverent, memores fidei, legum, commodi Chriſtianae Reipublicae, contra philoſophos, contra haereticos, qui philoſophia abuterentur, contra Atheos perite, ratione naturae pugnaverunt. Ceteri vero, qui poſt Patres hoſtium impetus compreſſerunt, qui diligentia, quanta animorum contentione, quanta ſcientia rerum naturalium valuerunt? Quid ego hic tot viros recenſeam? qui a duodecimo, ad noſtrum uſque ſeculum ita ſummam dignitatis, auctoritatiſque Patribus conceſſerunt, ut cum illis tamen de ſtudio defendendae religionis certarent. Horum dicta, atque argu-

a Hieronymus in *Epiſt. ad Paulinum*, quo loco diſſerit de libro Job.

b Adeundus Thomas Pius Maſſejus. *lib. De uſu Matheſeos in Theologia*. Extat *Tom.* 2. *Opuſcul. Quae Venetiis. Cura Calogerae in lucem* prodeunt. His rebus abuti ſolent Burnetius *in Theoria Sacra Telluris*, & Dichinſonus *in Moſe Atemiſa*, uterque de Anglorum ſuperſtitione.

argumenta, cum ſint in ſingulari quadam rerum varietate, & copia, ut pleraque exponi debeant ceterarum quas dixi, auxilio; ſeriei autem atque ordinis ratio propria ſit logicae facultatis; intelligi profecto ab iis non poterunt, qui neſciant graviter verſari in univerſa philoſophia.

VI. At aliquos, quantum ego auguror opinione, commoveri nunc arbitror. Nam qui vi ingenii, atque naturae fieri poſſe exiſtimant, ut quiſquam res tam multas perſpiciat; iniquo animo ferunt, accuſari eos a me, qui cum explicaturi, propugnaturique ſcripturae, majorumque doctrinam ſint, nollent fortaſſe ad tam varias, tamque difficiles diſciplinas vigilias, ſtudiaque ſua conferre. Sed hos ego homines nihil moror. Adſit enim illorum aliquis animo, ac ſi potis eſt, ſolo ingenii acumine evolvat, quae ex ſcriptura collegit Reyherus in Matheſi [a] Moſaica: explicet quae ex eodem ſonte tranſtulit in ſpicilegia Mathematica, quibus loca quaedam Sacrorum Bibliorum illuſtrantur, Dicelius [b]: expediat, quae Thomas Pius Maſſejus [c] ex Patribus attulit Geometrica, & Mechanica pronunciata. Conjiciat deinde oculos in Bocharti [d], Cellarii, aliorumque, qui Phyſicae Geographiaeque Sacrae ſuis commentariis lucem affundere ſtuduerunt. Quo tum vultu, qua confidentia affirmabit ſine praeſidio philoſophiae pertingere quemquam poſſe ad tot, tamque variarum rerum comprehenſionem?

VII. At enim dabo in dijudicanda, concludendaque ſententia plurimum ingenium poſſe. Quid? niſi fuerit expolitum doctrina, proſpicere ne cauſſas errorum poterit, praeſen-

---

a Fuit is de Grege Lutheranorum: ſcripſit opus: *De Matheſi Moſaica, ſive locis Mathematice explicatis, cum appendice aliorum ſacrae Scripturae locorum*. Quod opus prodiit an.1679 recuſumq. fuit *an.* 1714.

b Hieronymus Dicelius, qui edidit Lucubrationem inſcriptam: *Spicilegia ex Diſciplinis Mathematicis loca quaedam Biblica illuſtrantibus*.

c Thomas Pius Maſſejus Ord. Praedic. in *lib. De uſu Matheſeos in Theologia*.

d Bochartus in *Phaleg.*, & in *Hierozoico* per tot. Cellarius *Deſcr. Orb. Ant.*

ſenteſque habere in memoria regulas diuturna meditatione a viris doctiſſimis conſtitutas; ut ne haeſitet aliquando; neque in errorem abripiatur? [a] Videmus nos ſaepe ac multum pleroſque celeri, acutoque ingenio praeditos, quod numquam attigerint logicam facultatem; ſi quid proponatur contra rem, quae eſt poſita in quaeſtione, haerere; & modo huic, modo parti alteri aſſentiri, implicari tandem, atque irretiri quaſi laqueis quibuſdam argumentorum. Cernimus quoque Dialecticos furere. Quid enim eſt tam furioſum, quam verborum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia? Verum quae mens natura ſolers, & perſpicax Dialecticae ſibi praeſidium comparavit, conſequutaque eſt uſu, ſtudio, atque exercitatione reliquarum philoſophiae partium cognitionem, non modo immunis fuit in dijudicandis rebus religionis, quas didicit, ab errore; ſed etiam ſolide refutavit eas, quae ab inimicis proponi ſolent, difficultates. Fuerunt eodem ex ſtudio Clemens Alexandrinus, Hieronymus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, multique alii viri majorum memoria, ſumma pietate, atque Doctrina. Quare nolint homines novi Patrum inſtituta, quae Chriſtiana Reſpublica, quae diuturnitas Eccleſiae comprobat, reprehendere. Si ſapientes, ſi boni, ſi religionis amici haberi volunt, agant neceſſe eſt magnas & veteribus, & novis philoſophis gratias, qui cum in cogitationes, actioneſque humanae mentis adverterint animum, eamque multa peccare obſervarint, deprehenderintque errorum origines; & canones, quibus vitari poſſent praeſcripſerint; cum hos, tum cetera, quae in rerum natura cognoverunt, redegere in ſyſtemata quaedam, & litterarum monumentis commendaverunt, ut mortales ceteros ab errorum laqueis liberarent.

VIII. Sed quid eſt, quod ad intelligenda ſolum, quae

ſunt

a Rem eandem confirmant Walliſius *lib. III. cap. XXII. Logicae Tomo III. opp. fol.* 180. Hugenius *Act. Erud Lipſ. an.* 1711. *pag.* 477. Wolfius *Logicae P. II. Sect. I. cap.* 1. *&* 2.

ſunt a Sacris Scriptoribus, litteris conſignata; comparari oportere decreverim univerſam philoſophiam? Hoſtium etiam, mihi credite, perditiſſimorum in Romanam Eccleſiam impetus, ſi non ſrangi hac facultate; debilitari tamen poſſunt. Nam qui in aliqua ejus parte inermis ac nudus eſt; is ne tantum valebit acumine, ut tot adverſariorum, qui dialecticae peritia gloriantur, contorta, captioſa, & prima quidem ſpecie graviſſima argumenta diſſolvat? [a] Is ne rationum momenta, quibus falſi [b] mathematici prodigium a Joſua patratum, historiamque Moſis [c], quae eſt de Arca Noemi, conantur evertere; ſolide oppugnabit? Is ne impeditos paralogiſmos, qui peti ſolent a ſpeculatione naturae ad eludenda Chriſti axiomata de reſtitutione [d] corporum humanorum, [e] de locis inſeris, de [f] animorum immortalitate; refellet? Quam ille viam, quod conſilium capiet, ſi congredi aliquando voluerit cum coeno hominum impuriſſimorum,

qui

---

a Vide quae de re eadem infra dicentur.

b Inter hos falſos Mathematicos recenſeri merito debent Spinoſa, Auctor *Syſtematis Praeadamitarum*, & Johannes Clericus. Vide eruditiſſimum Calmetium *Diſſert. de Mandat. Joſuae Praeſ. Comment. in Joſ.*

c Hujuſmodi homines ſingulari Diſſertatione exagitavit acutiſſimus Peleterius.

d Sunt etiamnum, qui veteres haereticos auctores ſequuti Reſurrectionem tollere ſtudeant, aut ita explicent, ut omnino eam evertere videantur. Adeundi e noſtris Orthodoxis Auguſtinus Calmetius *Diſſert XIV. Journal des Savans an. 1723. pag. 585.* & Johannes Lamius maximo vir ingenio, atque doctrina *Diſſert de Reſurrect* quam inſeruit *Notis in Epiſt. Glicae*. Ex haereticis, contra Reſurrectionis hoſtes ſcripſerunt, Blacmorius Anglus *Dans l'Eſſais ſur la Providence, & ſur la poſſibilité Phyſique de la Reſurrection Hagae Comit. an. 1719.* & Bernardus Nievventytus *Trait. de l'Exiſt. de Dieu liv. III. chap. V* & alii.

e Videndum opus Abbatis Archimbaldi Galli: *De Aeternitate poenarum, & malorum poſt mortem. Pariſ an. 1717.* Hoc eodem munere functus eſt Johannes Tillotſonus Anglus *Serm. de Aeternitate poenarum*, qui eſt primus *Tom. V. Verſion. Barbeyrac. Edit an 1715.*

f Sunt etiam hac aetate, qui animos immortales eſſe negent; contra quos Clarkius, Crouſatius, Wolfius, aliique ex haereticis, ex Catholicis autem Gaſſendus, Archimbaldus, multique alii calamum acuerunt.

qui extare [a] numen ullum mentis infinitae negant, qui providentiam [b] tollunt, qui libertatem mortalibus [c] adimunt, qui nihil natura bonum, nihil malum, nihil honeſtum, nihil turpe, nihil ſanctum, nihil [d] impium eſſe defendunt? Hos tam acutos, tam ſubdolos, tam inſenſos catholicae religioni, confundet ille totius expers philoſophiae; tradetque expugnatos memoriae hominum ſempiternae? Nolite arbitrari, AA. uſitatis olim viis quaeri ab ſanie illa, atque colluvie ſceleratorum Chriſtianae Reipublicae malum. Mutata voluntas eſt. Qui Logicae, qui Phyſicae, qui Metaphyſicae cum primum oriri ceperunt, erant infeſti; paulo poſt novo conſilio, his ſibi diſciplinis dandam eſſe operam cenſuerunt [e]. Inita eſt jamuſque a ſextodecimo ſeculo ratio Orthodoxae Religionis delendae hujuſcemodi armis, perventendorum Catholicorum, nominis Chriſtiani extinguendi. Perfertur quotidie ad nos multorum ſermone, videntque ipſi, quibus licet impiorum libros pervolvere, plures in Britannia Atheos; & hae-

---

a Dici vix poteſt, quot ſint in Anglia, & in quibuſdam aliis Europae partibus, qui Atheiſmum defendant, contra atque ratio ipſa dictet. In his refeliendis plures & noſtra, & majorum noſtrorum memoria bonum otium contriverunt, ut Nievventytus, ut Derhamus, ut Clarkius, ut Fenellonus, ut innummerabiles alii, quos recenſere non vacat.

b Providentiam negant iidem ipſi Athei. Hoc idem vitio ſvertit Leibnitio Clarkius *Epiſt. Reſp. I. ſeqq. Tom. I. Collection. varior. Opuſcul. pag. 6. ſeqq. Edit Amſtel. anno* 1740. Abutuntur Athei autem philoſophia.

c Multi hoc tempore libertatem homini detrahendam eſſe pugnant. Ex his Collinſius Tractatum edidit Philoſophicum contra libertatem. Negari nequit, quin e noſtris plerique eos ſolide refutarint. ſed propagatores fidei philoſophiam ſibi ſubſidio parent neceſſe eſt, ſi a calumniis velint Orthodoxae, quam colunt religionis ſententiam de libertate defendere.

d Thomas Hobbeſius, veteres quoſdam philoſophos, ſi tamen licet eos philoſophos appellare, ſequutus, nullas eſſe contendit a natura inſtitutas regulas virtutum ac vitiorum. Ergo arbitrio hominum bona quaedam, alia mala &c. dici ſolere concludit. Vapulat a Puſendorfio *l. IX. De J N. & G. cap. IV. § VI.* Adeſis Crouſatium *Exam Pyrrhon. Sect. VII.*

e Etſi Lutherus, atque Calvinus, aliique illorum ſectatores initio philoſophiam averſati ſint eamque imprimis Philoſophiae partem, quae in ratiocinatione conſiſtit, quaſi

& haereticos, plures in Belgio, plures item voce Chriſtianos, re autem vera acerbiſſimos Chriſtianae Reipublicae hoſtes, in Germania, Pannonia, Sarmatia eſſe, qui plurimum in philoſophicis poſſint. Novi Deiſtae [a], & qui Spinoſam auctorem ſequuntur [b] Sociniani, Janſeniani, quorum ego haereſim non phantaſma, ut illi jactitant; [c] quoddam, ſed perniciosiſſimam peſtem eſſe defendo, Lutherani, Calviniani, nonne tanta in differendo ſubtilitate utuntur, ut rebus certis, & exploratis noctes obducere videantur? Quid de genere illo conjuratorum loquar? qui mentes ſe *fortes* appellant [d] acutos quidem illos, & in philoſophicis exercitatos; natos non

---

quaſi inimica ſit, non miniſtra Theologiae, quod ne Gleditſchius quidem in *Or. De Phil. Haer. Obtr.* negat: tamen Philippus Melanthonus, cum eas diſciplinas plurimam vim habere in differendo animadvertiſſet, colendas a ſuis Proteſtantibus eſſe voluit; quod patet ex J. Hermanni Keiſvvichii *Tract. De varia Ariſtotelis Fortuna in Scholis Proteſtantium num. 13. ſeqq. pag. 38. ſeqq. Edit. anno* 1720. Immo vero juſſit, ut Mathematicis etiam darent operam, quod liquet ex ejus Praefatione *ad Elementa* Geometriae Johannis Vogelhoi. Exinde haeretici, & qui ob haereticis ſejuncti in Atheiſmum, aut Deiſmum lapſi ſunt, magno ſtudio in omnes partes Philoſophiae incubuerunt.

a Hi qui naturalem religionem ſatis eſſe jactitant ad acquirendam ſempiternam felicitatem, Deiſtae vocantur. Contra hanc peſtem plerique magno ingenio viri cum Orthodoxi, tum haeretici calamum acuerunt; quos recenſet Johannes Albertus Fabricius *De veritate Religion. Chriſt. cap. XXII.*

b Benedictus Spinoſa Amſtelodamenſis Judaeus primum, tum Chriſtianus haereticus, poſtremo Athens fuit. Periit anno 1677. *Hagae Comitum*. Oppugnatus fuit a Franciſco Lamio Monacho Benedictino Sancti Mauri in *Gallico Tract. novi Atheiſmi everſi, vel refut. Syſtem. Spinoſae. Edit Pariſ. an.* 1696. Sexennio ante ſcripſerat contra Spinoſam Chriſtophorus Witichius *Antiſpinoſam, ſeu Examen Ethic. Benedict. Spinoſ. & comment de Deo, ejuſque Attributis.* Ceteros, qui eamdem provinciam ſuſceperunt, tacitos praetermitto.

c Haec eſt Janſenianorum querela. Eorum Epiſtolae de hoc argumento, quae Arnaldo vivente in lucem comparuerunt, recenſaeque ſunt noſtro ſaeculo malis artibus a Janſenianis, plenae ſunt mendaciorum. Sed bene habet. Multi e noſtris hanc calumniam ſolide refutarunt.

d Deiſtae, & qui non ſacris Bibliis, ſed ſuis inventis ſtandum eſſe putant *ſpiritus ſe fortes* nuncupant. His praeivit Benedictus Spinoſa ὁ Κακοι.

Google

non ſaluti, & gloriae, ſed ventri, atque abdomini ſuo; qui Geographia, Aſtronomia, Chronologia abuti ſolent, ut ſacrorum librorum, ſi poſſint, divinam nobis deripiant auctoritatem? Magno hoc dico cum dolore. Miſerandum in modum pernicioſa volumina Britanniam? Britanniam autem? immo vero Gallias, Belgium, Germaniam, Italiam ipſam innundaverunt, plena philoſophicarum rationum, quibus praecipua religionis noſtrae decreta exagitantur. Petri Baelii [a] Abbadiaei, Burnetii, Beauſobrii, Collinſii, Woolſtoni, Barbeyracii, ceterorumque, quos ſi numerare vellem, abuterer patientia veſtra, AA; philoſophicae obſervationes contra moralem Chriſti, Sanctorumque virorum, contra Myſterium Euchariſtiae, contra reſtitutionem corporum humanorum, contra originem materiae, contra aſſenſionem Sacris litteris adhibendam, contra ſervatoris miracula: ita pleroſque delectant, ut niſi ſapienter, accurateque refellantur, magnum afferre poſſe videantur Catholicae fidei detrimentum. Haec mon-

a Petrus Baelius Pyrrhoniſmum profeſſus eſt. Omnia Fidei dogmata in controverſiam revocavit. Moralem Chriſti doctrinam cum ratione pugnare cenſuit. Vapulat a Crouſatio in *Exam. Pyrrhon. Sect. XIV. §. LII* Johannes Barbeyracius Calvinianus cum *Praefat. ad J. N. & G. Puffendorfii*, tum ſingulari opere *Moralem SS Patrum* oppugnare conatus eſt. Hunc ego exagitabo, ut meritus eſt, in eo opere, quod paro: *De Morali Doctrina SS. PP.* Abbadieus Calvinianus in *lib. De Verit. Relig. Chriſt. Reformat.* Gallice edito *an.* 1718. Roterod invehitur in dogma Catholicum *de Euchariſtia*. Burnetius Anglus cum in *Theoria ſacra Telluris*, tum in *lib. De Paradiſo*, ſic explicat reſtitutionem corporum humanorum, ut eam tollere funditus videatur. Iſaacus Beauſobrius Calvinianus is, qui deceſſit anno 1738. in *Hiſtoria Manichaeorum Tom II* pugnat *pro aeternitate materiae*. Collinſius Anglus, qui neceſſitate duci voluntatem defendit, libertatem menti in judicando concedendam eſſe pugnat. *In eo Tractat.* quem edidit *De cogitandi Libertate*. Woolſtonus item Anglus Chriſti Servatoris prodigia in ſenſum allegoricum vi adhibita contorquere conatus eſt. Is ut poenam vitaret in Bataviam profectus, Judaiſmum coluit. Exagitatus fuit a Pearcio falſo Paroeco S Martini de Campis Londini. Horum libri circumferri ſolent. quare onus illud Miniſtris Verbi incumbit, ut eos accurate refutent, ne quam inferant Eccleſiae partem incommodorum.

monſtra, has beluas tam immanes in noſtrum nomen graſſari patiemur, quas adjuncta divinae ſcientiae philoſophia perfacile poſſimus reprimere?

IX. Majores noſtri, quod Arium [a], quod Aëtium, quod Eunomium, quod Joannem Philoponum Tritheitam, quod alios haereticos, atque Ethnicos Dialecticorum praeceptis, quibus eſſent inſtructi, vehementer pugnare vidiſſent; intellexiſſentque ſuis telis eſſem improbos homines confodiendos, nihil, quod ad artem hanc comparandam faceret praetermiſerunt. Referti ſunt Athanaſii, Didymi, Titi Boſtrenſis, Nemeſii, Cyrilli Alexandrini libri notionum, quae ſunt expreſſae ex univerſa philoſophia. Quid de ceteris Patribus dicam? An quiſquam Ethnicorum paralogiſmos de providentia, de materia ſempiterna, de Deo corporis, originiſque experte, Juſtino, Minucio, Tatiano, Athenagora ſubtilius explicavit, refutavitque? An contra Marcionis, Hermogenis, Valentini, ceterorumque Gnoſticorum, qui duobus primis, tertioque ſeculo ineunte Orthodoxis bellum acerrimum intulerunt, ſoritas, ac ſyllogiſmos, agere quiſquam argutius potuit, quam actum fuerit a Tertulliano? [b] Mitto cete-

a Conſule Socratem *lib. I. Hiſtoriae cap. V.* & Sozomenum *lib. I. capit. XV.* quorum alter appellat Arium *οὐκ ἄμοιρον τῆς διαλεκτικῆς*, *non expertum Dialecticae*, alter *διαλεκτικώτατον*, *maxime Dialecticum*. De Aetio, & Eunomio, adeundi Epiphanius *Haereſ. LXXVI. num. 2.* & Gregorius Niſſenus *in I. contra Eunomium.* De Philopono conſulendi Nicetas Byzantius *Pro Conc. Calced. apud Allatium Tom. I. Graec. Orth. pag.* 713. Nicephorus *lib. XVIII. cap. XLVIII.* & Photius *Cod. XXII.*

b Non is ego ſum, qui ullam notationem adjungere velim, qua indicem Patrum opera, quae ſunt referta philoſophicis momentis, quum manibus omnium teri conſueſcant. Etſi autem celebre ſit, quod habet de Tertulliano Vincentius Lirinenſis in *Commonitor. pag. 58. Edit. an.* 1731. quoniam tamen ad rem facit huc eſſe transferendum putavi. Eſt autem illud hujuſmodi. „ Nempe omnem Philoſophiam, & „ cunctas Philoſophorum ſectas, „ auctores, adſertoreſque ſectarum, „ omneſque eorum diſciplinas, om„ nem hiſtoriarum, & ſtudiorum „ varietatem, mira quadam mentis „ capacitate complexus eſt. *Pag. 59.* „ Sciunt hoc Marciones, Apelles, „ Praxeae, Hermogenes, Judaei, Gen-

Digitized by Google

ceteros. Hoc nunc breve dico. Julianus Imperator, qui maximo damno ſuo incidit in idolorum ſuperſtitionem, cum praeſidio [a] hujuſce ſcientiae proſterni a noſtris cerneret, diſjicique quam ipſe jamplexus fuerat falſam religionem, lege cavit, ut ne quis Chriſtianus ſcholas ejuſmodi frequentaret, in quibus liberales artes, philoſophicaeque diſciplinae traderentur.

X. Itaque cernitis, Auditores, non vanitate, non ſupercilio, non oſtentatione, quae propria eſt Sophiſtarum; ſed utilitate, operae pretio, neceſſitate introduci oportere in coetum eorum philoſophiam, qui religionem expoſituri ſunt, qui oppugnaturi haereſes, qui exterminaturi ſuperſtitionem. Vidit hoc Clemens Alexandrinus homo graviſſimus, & copioſiſſimus in dicendo [b]. Viderunt ceteri qui pari pietate, atque ſapientia inclaruerunt. Viderunt optimi viri, cauſſaeque publicae amatores, qui Academias, qui Collegia, qui ſcholas magno ſumtu in variis Europae partibus fundaverunt, in quibus Facultates philoſophicae adoleſcentibus explicarentur. Atque id ſane, ne Robertum quidem Boylaeum, hominem ceteroqui deditum errori Anglorum latuit; qui cum hoc agi, pararique in Britannia a pleriſque improbis obſervaſſet, ut funditus profligentur ac pereant, quae natura duce de Deo, & anima humana cognoſcimus; eam cathedram propria pecunia inſtituit [c], quam qui regeret, is omnes curas

---

„ Gentiles, Gnoſtici, ceterique, „ quorum ille blaſphemias, multis „ ac magnis voluminum ſuorum „ molibus, veluti quibuſdam ful- „ minibus evertit.

a Vide Gregorium Nazianzenum. *Orat. III contra Julianum pagin. 97 Edit. an. 1690.*

b Clemens Alex. *lib. I. Strom. pag. 283 Edit. an. 1641.* Ἐὰν δὲ σὺ [illegible] αὐτὴν διὰ φιλοσοφίας, καὶ παντοδαπῆς [illegible] ἀνεπίβατον τοῖς σοφισταῖς τηρή-σῃς. *Quod ſi tu*, inquit, *eam* (veritatem Chriſtianam) *per Philoſophiam, & multam rectam eruditionem lorica munieris, ſophiſtis inacceſſam ſervaveris.*

c Gilbertus. Burnetius in *Oratione in Funere Boylaei, quae ſubjicitur editioni latinae Sermonum Bentlejanorum pag 480* „ Statuerat, *inquit*, (quamvis interceſſerint „ quae, quo minus, dum viveret, „ rem effectui daret, non quomi-

D nus

curas, laboreſque ſuos conſumeret in confirmanda veritate Chriſtianae religionis. Quotus autem quiſque eſt in Hiſtoria philoſophorum hujuſce temporis, ita hoſpes, & peregrinus, qui neſciat, quam attulerint Generi humano utilitatem Derhamus [a], Niewentytus [b], Martinius [c], qui ſtatim ac agnoverunt argumenti a natura petiti vim, fundamenta religionis, quae ratione duce poſſunt intelligi, philoſophiae praeſidio confirmaverunt? Sed quid ego hos memoro homines, qui etſi recte de naturae, impie tamen de divinitus data religione ſenſerunt? Convertite quaeſo in Orthodoxos viros, qui eodem munere functi ſunt, imprimiſque in Thomam Aquinatem oculos, philoſophum ſumma ſanctitate, ſummo ingenio, ſummo ſtudio rerum optimarum, ſperoque jam fore, ut quod inimici noſtri [d] fatentur, intelligatis; nemi-

---

„ nus teſtamento inſtitueret, im„ pedivere) ſalarium ſatis pingue „ (*centum librarum ſterlingarum*) de„ cernere Theologo, pauca ner„ voſa orationibus, quotannis ve„ ritatem Religionis Chriſtianae aſ„ ſerturo, ad pugnas tamen, qui„ bus Chriſtiani inter ſe dimicant, „ haud deſcenſuro, eamque provin„ ciam ternis quibuſque annis, in „ alium, atque alium devolvi juſ„ ſit &c. Sed ut ſola ratio deſerta fide, ſaepe errat, ſic plerique, qui eam Cathedram moderati ſunt contigit, ut multa enunciarint, quae pugnent cum ratione naturae, & religione.

a Anno 1715. Londini edidit *Demonſtr* Sermone Anglico, *De Exiſt. & Attrib Dei*, per res naturae, quae deinde Florentiae in italicum, & apud Batavos in gallicum ſermonem verſa in lucem edita eſt.

b Bernardus Nievventyius Batavus haereticus, ſcripſit *De Exiſt. Dei demonſtrata per admirab. res natur.* quod opus prodiit Batava lingua *an.* 1718 *Amſteled.* Translatum autem fuit *an.* 1727. in Gallicum ſermonem, ibidemque anno eodem recuſum eſt.

c Falſus Miniſter Ultrajectinus, qui *anno* 1713. edidit Amſteledami *Tractatum* Gallicum *De religione naturae*.

d Ne ipſi quidem haeretici a Thoma laudando ſibi temperarunt. Chriſtianus Wolfius *Theologiae Naturalis Parte II. Sect. II. cap I* § 497. haec habet: „ Unde Divus Tho„ mas, pro eo quo pollebat in „ Theologia naturali acumine, „ principia haec defendit, atque „ hiſce armis cauſam Dei contra „ Atheos tuetur. Hic idem facit ibidem *Parte I* § 546 683 799. Nolo equidem, ne ſim longior, quam par ſit, laudes Thomae datas a Leibnitio, Grotio, aliiſque haereticis recenſere, quae ſane magnae ſunt, nec

Digitized by Google

minem, qui penitus neceſſitatem philoſophiae comprehenderit, neminem inquam, contra Atheos, contra idololatras, contra Muhamedanos, contra omnes, qui aliqua ſuperſtitione ducerentur, tanta gravitate, tanta ſcientia, tanta rerum varietate decertaſſe [a].

XI Satis mibi multa verba fecisse videor de conjunctione. cognationeque philoſophiae cum maximis ſtudiis, quae pertinent ad explicandam tuendamque religionem. Reſtat, ut de inſtitutione adoleſcentium, qui ſunt deſignati fidei adſertores, ac vindices, dicendum eſſe videatur. Aut ergo ſeponenda eſt cura amplificandae religionis; aut mos gerendus inſtitutoribus hujuſce Collegii, viris poſt hominum memoriam prudentiſſimis, qui cum firmis opibus, fidem contra ſcelus inimicorum muniri, & eorum impetus pari praeſidio propulſari poſſe vidiſſent; ampliſſimis propoſitis praemiis, magiſtros advocaverunt, qui ita adoleſcentes erudirent, ut ducto a philoſophia exordio, ſi eſſent humanis artibus expoliti, eam ſic explicarent, ut religioni ſubſidio eſſe poſſet. Incumbat ergo neceſſe eſt onus illud magiſtro philoſophiae, ut ordine omnia tractet, quorum eſt aliqua cum rebus divinis affinitas, ne qua ex perturbatione confuſio in juvenum mentibus oriatur. Ego enim ſic exiſtimo, ut in ceteris, ſic in noſtro philoſopbo hoc potiſſimum ineſſe oportere, ut ordinem ſervet, magnamque obtineat in docendo perſpicuitatem.

Quae

---

nec tamen Sancti Doctoris meritum ſuperant. Immo vero minus dictum ab eis arbitror, quam veritas poſtularet.

a Gabriel Naudaeus in Bibliotheca Politica *pag.* 77. poſt celebrata veterum opera, quibus gentiles exagitantur: *Omnium inſtar*, inquit, *haberi jure merito poteſt Doctoris Angelici Summa contra Gentes. Adeo ferax eſt ſenſuum rationum, ſubtilitatis, & doctrinae* Verſa a Graecis eſt in Graeçum ſermonem. Exſtat ergo Graece Pariſiis *in Bibl. Regia Cod.*683. ex Tranſlatione Demetrii Cydonii. Quinetiam libri tres priores ejuſdem Operis Hebraice prodierunt *Romae an.* 1657. Quod dixi de Summa contra Gentes, hoc idem dicendum eſt de Quaeſtionibus diſputatis, de Opuſculis pleriſque, de Commentariis in libros ſententiarum, deque Summa Theologica. Sed ea opera, quantam contineant utilitatem, norunt, qui vel primoribus labiis Theologiam attigerunt.

Quae enim poteſt par oratio inveniri detrimento, quod ſecum aſſerre ſolet implicata ratio diſſerendi. Cum ergo Dialectica diſciplina ad recte informandam rationem conducat, tum ad voces apte, atque adpoſite adhibendas; erit cur noſter ille praeceptor, non copioſe, ſed breviter, diſtincteque[a] exponat, quae de numero actionum mentis, de ideis, de vocibus, de judiciis, de concludenda ſententia, deque methodo a Dialecticis & novis, & veteribus diſſeruntur. Neque vero is ego ſum, qui vel peregrina haec eſſe putem, vel tam praeclara, tam magna, tam admiranda, ut proferri debeant in concionem. Scio uſu eſſe protrita, communia, pervulgata. Sed cum ſine illorum auxilio accedere nemo ad majora poſſit: dicendum profecto fuit, ut ſint ab eo, quem poſtulo magiſtro explicanda.

XII. Jam vero quis eſt, qui exerceri patiatur in diſceptando adoleſcentem anteaquam in addiſcendis praeceptis recte utendi ratione ſtudium ullum conſumſerit? Graviter id quidem patior, Auditores. Maximo malo ſuo multi implicati, diſſipati, perditi ſunt jejunis, ineptis, ridiculis quaeſtionibus, quod voluerint de Blytri, de meris nugis philoſophari, quum ne primoribus quidem labiis diſſerendi ſcientiam attigiſſent. Itaque ego ipſe, qui optime illum ſua ratione uti arbitror, qui ex arte dicit, & in dicenda cauſſa argumentis aptiſſime ductis texit orationem; ſic ſtatuo: eum, quem requiro philoſophum, ubi probatos dialecticos ſuos auditores eſſe cognoverit; evolvere oportere, non eas, quae ſunt plenae ineptiarum, tam varias, tantaque novarum barbara-

a Clemens Alexandrinus *lib. I. Stromat. pag.292. Edit an.1641.* Πῶς δὲ οὐκ ἀναγκαῖον, inquit, τῷ τοῦτως φιλοσοφοῦντι διακρίνειν τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ ἐφάψασθαι ἐθέλοντι νοητῶς; πῶς δ᾽ οὐχὶ καὶ διαφόρως χρήσιμον τάς τε ἀμφιβόλους φωνὰς, τάς τε ὁμωνύμως λεγομένας ἐν ταῖς διαθήκαις. *Quomodo autem non eſt neceſſe, ut de intelligibilibus philoſophando tractet, qui Dei velit potentiam attingere? Quomodo autem non eſt utile dividere etiam dubias voces, & quae aequivoce efferuntur in Teſtamentis?* Vide etiam SS. Baſilium *in cap. II Iſaiae*, Gregorium Nazianzenum *Orat XX* & Hieronymum *Comment in cap IV. verſ. 14. Epiſt. ad Epheſios*.

 115

bararumque vocum volutatione implicatas; ſed alias quaeſtiones, quae religioni magno uſui eſſe poſſint. Proditum a majoribus noſtris eſt, fuiſſe olim homines, qui ſe philoſophos ſcepticos nominarent. [a] Hi nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe affirmaverunt. Sed cum poſita hac tam falſa, tamque abſurda ſententia, nulla ſuperſtes eſſe poſſit religio: incredibile dictu eſt, quam ſolide fuerit a Patribus [b] oppugnata. At enim quid ego antiqua repeto? Petrus Baelius, acri ingenio vir; natus tamen ſceleri, & improbitati; ac Petrus Daniel Huetius [c], neſcio quo caſu in eam opinionem, quaſi tempeſtate quadam delatus, tanto artificio, tantaque verborum circuitione nullam rem comprehendi ratione poſſe pugnarunt, ut qui expers philoſophiae ad eorum libros verſaudos acceſſerit, nae is continuo haeſitaverit. Ille ne igitur, qui eruditis Dialectica diſciplina noſtris adoleſcentibus ingredi in eam partem pertractandam debet, quae in diſputatione verſatur, non inveſtigabit an dari quidquam certi natura poſſit? quae ſit dijudicandae veritatis nota? quod principium, qui fons, quae origo noſtrarum cognitionum? quae tandem ratio ineunda ſit in inquirenda, inveſtigandaque veritate?

XIII. Sed ne cui veſtrum is eſſe videar, qui noſtrum philoſo-

a Adi-ſis Diogenem Laertium *lib. IX. pag 61 ſeqq* Ariſtoclem apud Euſebium *lib. XIV. Praeparat. Evangel. pag 762.* Ciceronem *lib. IV. Acad Quaeſt.* Numenium apud Euſebium *lib XV. Praep Evang pag.274.*

b A Clemente Alexandr. *lib.VIII. Stromat. pag. 777 ſeq.* Lactantio *libro III cap IV ſeqq* Auguſtino *tribus integris libris contra Academicos.*

c Petrus Baelius ita Pyrrhoniſmo addictus fuit, ut de rebus etiam certiſſimis in utramque partem diſceptaret. Quare totis voluminibus conciſus fuit a Crouſatio. Petrus Daniel Huetius Epiſcopus Abrincenſis, vir alioqui de Eccleſia Orthodoxa optime meritus, quippe qui ediderit *Demonſtrationem Evangelicam*, tantam eſſe defendit in eo opuſculo *de la Foibleſſe de l'Eſprit humain*, humanae mentis imbecillitatem, ut nihil certi in natura putarit eſſe. Quod opuſculum copioſe refutavit Crouſatius *in extremo Opere de Examine Pyrrhoniſmi* Sed non dubitavit de veritate religionis Huetius, imo vero eam acriter defendit, ac propugnavit.

Digitized by Google

loſophum velim in Dialecticis ſolum conſiſtere: venio ad ceteras facultates. Peto igitur ſecundo loco, ut ne ille oderit Geometriam, ne inimicus ſit Arithmeticae, ne Geographiam negligendam, ne Chronologiam contemnendam, ne rejiciendam aſtronomiam putet. Nam etſi non perfectum, numeriſque omnibus abſolutum Mathematicum, eum tamen eſſe oportere decet religionis propagatorem, qui ſciat prima praecepta, ac Theoremata harum diſciplinarum. Neque enim, quia ſalvus quis eſſe ſine mathematicis poteſt, idcirco ſunt illae praetermittendae. Ludibrio, mihi credite, noſtros exponunt inimici Catholici nominis, derident, hebetes, tardos, nugaces probro appellant, atque ita apud imperitum vulgus illorum imminuunt exiſtimationem, ſi ignorent mathematicas, ut vix paucos noſtri reperiant, qui ſibi eſſe auſcultandum arbitrentur. Teſtes ſunt plerique Britanni, Teſtes Batavi, teſtes magno numero Belgae Orthodoxi, qui paria ſaepe ac multum ab haereticis audierunt. Sit vanum, ineptum, indignum homine ſapiente hoc genus dicteriorum. Per me licet. Verumtamen ſi tolli poteſt ſtudio hujuſmodi facultatum, quid eſt, quod quiſquam exiſtimet ex hac palaeſtra eſſe omnino removendum? Sed mihi videor nimis nunc agere jejune. Cum enim ſit campus, in quo poſſit exſultare oratio, cur eam in tantas anguſtias, compello? Dicamne igitur multa quae in ſcripturis, multa quae in Patribus, multa quae in Hiſtoria Eccleſiaſtica exſtant, ſublatis funditus Mathematicis, neque intelligi poſſe, neque defendi contra obtrectatores? At nolo quemquam ſaepe rebus iiſdem obtundere. Nam quod dictum eſt ſemel; hoc ipſum repetere moleſtum eſt; quamvis fortaſſe hoc tempore, atque aliis viris, qui non ita ſint animo comparati, ut vos eſtis Auditores, maxime, mea quidem ſententia, neceſſarium. Fuit hoc quondam, fuit, eſtque nunc etiam proprium aliquorum, qui principia ignorarent, negligere contemnereque uſum earum diſciplinarum. Hos ego recte, accurateque diſputare, rationeque uti poſſe dicam, qui deſpicatui haberent, mentis moderatricem ſcientiam? Qui ita perverſe exiſtimant, querentur ſi

actum

Digitized by Google

actum agam, ſi repetam, quae dixi; ſi contra falſum eamdem ſaepius adhibeam veritatem? Proferam, ſi opus fuerit, centies, quod Thomas Aquinas praeſcribit in Ethicis, ut qui philoſophiam, ipſi ſimul Mathematicas doceantur. Dicam Principem omnium Theologorum dediſſe operam Geometriae, cujus exempla non in Commentarios tantum in Ariſtotelis meteora; ſed in ſummam etiam Theologicam tranſtulit. Commerabo late diviſum, tetrumque bellum Machabaicis, ceteriſque Canonicis voluminibus a Scaligero, & ab aliis, qui Chronologiae praeſidio gloriarentur, illatum: his artibus, quae partes ſunt Mathematicae, ſublatum atque ſepultum, a quibus Petavius, Noriſius, plureſque magni viri auxilium petiverunt. Ferent igitur omnes, ut hic ego celebrem deceſſorem [a] meum, virum doctiſſimum, & in hiſce praeſertim ſtudiis ſumma cum laude verſatum, qui ubi utilitatem, quae huic tantae ſcientiae ineſt, animadvertit; contulit ſe ad ſuos auditores in mathematicis aliquantum inſtituendos.

XIV. Age vero ſi tot ſunt, ac fuerunt eorum ſententiae, qui fundamenta religionis evertere ſtuduerunt; fieri ne poteſt, ut eas rejiciant, qui in ſumma illarum ignoratione verſentur. Quemadmodum autem compertae illis eſſe poterunt, qui non adjecerint animum ad hiſtoriam Philoſophorum? Ac noſtis vos quidem Johannem [b] Clericum, & ſceleſtiſſimum Irenici Irenicorum Auctorem, tanta fuiſſe improbitate, ut Myſterium Trinitatis a Platone fuiſſe mutuatos majores noſtros defenderent. Noſtis Burnetium multa Fidei Orthodoxae decreta cum ſententiis veterum ſapientum componere omni ope ac diligentia contendiſſe. Fuit aliorum par labor, & audacia in ſimilibus rebus, quos ego libenter praetereo.

Ad

a Thomam Le Seur dico e Minimorum familia, cujus incredibilis eſt in Mathematicis peritia. Magnam hic, qui Moralem nunc Theologiam in Urbano Collegio de Propaganda Fide docet, ejuſque ſodalis cum inſtituto, tum ſtudio Franciſcus Jacquerius, qui in eodem Collegio ſacram Scripturam explicat, ſibi ipſis laudem conciliarunt ob eruditiſſimos commentarios, quos ediderunt in Nevvtonum.

b Vide Baltuſium S J. in Opere: *De Patribus a Platoniſmo defenſis*.

Ad hos refutandos nihil eſt opportunius Hiſtoria Philoſophorum. Vera praedico, Auditores. Magno numero hujus facultatis ignari, & noſtra, & ſuperiore etiam aetate, cum ad ſcriptores, qui eſſent Catholicae religioni infeſti, oppugnandos ſe induxiſſent, neque illorum ſatis exploratam habuiſſent ſententiam; ita ſe profecto geſſerunt, ut non contra hoſtes; ſed contra imagines, quas ſibi finxiſſent, pugnare viderentur. Redigat ergo in Epitomem hanc hiſtoriam, ſuiſque diſcipulis tradat neceſſe eſt is, quem requiro, Magiſter Philoſophiae.

XV. Quid Phyſica? Patiar ne praetermitti ab inſtitutore noſtrum adoleſcentium? Haec qui ignoret, nae ille in Metaphyſicis caligaverit! Agat igitur: ordiatur ab evolvendis viribus corporum, cum intima eorum natura dignoſci nequeat; tum ad Caeleſtium, inde ad terreſtrium tractationem veniat; neque ommittat eas, quae ſunt de elementis, de mixtis, de foſſilibus, de plantis, de animantibus variorum generum [a] quaeſtiones. Neque vero tam fuſe, tamque copioſe has expli-

---

a S. Auguſtinus *libro I. De Gener. ad litt. capite XIX.* „ Plerumque, *inquit*, accidit, ut aliquid „ de terra, de caelo, de ceteris „ hujus mundi elementis, de motu, „ & converſione aſtrorum, vel „ etiam magnitudine, & intervallis ſiderum, de certis defectibus „ ſolis, & lunae, de circuitibus annorum, & temporum, de naturis „ animalium, fruticum lapidum, „ atque hujuſmodi ceteris, etiam „ non Chriſtianus ita noverit, ut „ certiſſima ratione, vel experientia teneat. Turpe autem eſt nimis, & perniciolum, ac maxime „ cavendum, ut Chriſtianum de „ hiſce rebus, quaſi ſecundum Chriſtianas litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut „ quemadmodum dicitur, toto caelo errare conſpiciens, riſum tenere vix poſſit. Et non tam moleſtum, quod errans homo deridetur, ſed quod Auctores noſtri „ ab iis, qui foris ſunt, talia ſenſiſſe creduntur, & cum magno „ eorum exitio, de quorum ſalute „ ſatagimus, tamquam indocti reprehenduntur, atque deſpiciuntur. Cum enim quemquam Chriſtianorum in ea re, quam optime „ norunt, errare deprehenderint, „ & vanam ſententiam ſuam ex noſtris libris aſſerere, quo pacto illis „ libris credituri ſunt de reſurrectione mortuorum, & de ſpe vitae aeternae, regnoque caelorum, quando de his rebus, quas „ jam experiri, vel indubitatis numeris, percipere potuerunt, fallaciter putaverint eſſe conſcriptos.

Digitized by Google

plicabit, ut in his otium, atque operam omnem conterendam eſſe ſuis auditoribus arbitretur. Aliarum enim, non ſuarum ipſarum cauſſa ſunt exponendae. Ineſt quippe maxima illis utilitas; ſed ut nobis viam ſternunt ad cognitionem rerum divinarum.

XVI. Sed video mihi hoc loco de Metaphyſicis eſſe dicendum, quorum tanta eſt cum religione conjunctio. Atque ut de ea parte taceam, quae eſt *περὶ τῶ ὄντος*, [a] quae ſcilicet breviter erit expedienda; qui fieri poteſt, ut ſine detrimento religionis altera illa, quae eſt de ſpiritibus praetermittatur? Nihil enim in hoc loco diſputationis eſt, quod non ſit proprium religionis. Adſit ergo, noſter ille; quoniam ſunt hoc etiam tempore, qui cum vivere ſceleſte velint, ſpiritus, animorum immortalitatem, Deum ipſum impudentiſſime dari negant; adſit, inquam, animo, ductoque ab actionibus mentis, quae percipi, comprehendique facile poſſunt, exordio; de viribus deinde, poſt de animi natura, & immortalitate, ut ab Generali Synodo Lateranenſi, Leone X. Pontifice, ſtatutum eſt, rationum momentis diſſerat. Non ommittat quaeſtiones, quae ſunt de arbitrii libertate, non eas, quae ſunt de animi, corporiſque conjunctione, deque materia vacante poteſtate ſentiendi, & cogitandi. Non Leibnitio [b], non Lockio, non Clarkio, ubi contra religionem, vel contra rationem quidquam tuentur, morem gerat, territus eorum nominibus; ſed eos refellat acriter, perſpicueque demonſtret: homines etiam magno ingenio, ſi vera fide carue-

a De *ente*.

b Guillelmum Leibnitium, qui multa in Theodicea turbat, & in aliis ſuis operibus, vexant Clarkius multique alii, quod pleraque dixerit, quae contra religionem naturae pugnare videntur. Johannes Lochius Anglus, cujus opera cognita pleriſque omnibus ſunt, cum Socinianus fuerit ſententia, tum materiam donari poſſe defendit poteſtate cogitandi *Lib. IV. de mente Humana cap. III* quem proinde merito exagitavit Stillingfleetus. Samuel autem Clarkius, qui Cathedram a Boylaeo fundatam triennio moderatus eſt, multa peccat, ubi de Immenſitate Dei loquitur *lib. De Exiſt. & Attributis Dei*.

ruerint, longe plerumque deflexiſſe a veritate. Deſcendat porro ad ea, quae ad exſiſtentiam, & attributa, & providentiam Dei pertinent, eaque jam, quoniam inimici refugiunt auctoritatem, rationum momentis graviter, ſolideque conſtituat. Poſt ubi haec ſancita fuerint, & confirmata, ſic agat: cum humanus animus ſit immortalis, cum a ſupremo Deo, a quo eſt conditus, & in vita, & poſt corporis interitum pendeat, colat ipſum Deum neceſſe eſt: tumque rationis ope colligat, aliquam poni oportere religionem.

XVII. Bene autem habet. Jacta ſunt fundamenta diſciplinae moralis Nam ſi diſceptavit noſter Philoſophus, de mente, de cognitione, de voluntario, & non voluntario, de libertate, de Deo, de religione; conficiet profecto concludendo, alias hominum actiones bonas, alias malas eſſe; exiſtereque inde magnam ſeriem virtutum, ac vitiorum, quarum ſane rerum inquiſitio conjugenda cum ea eſt, quae fieri debet de finibus tractatione. Invitat ſcilicet vera ratio bene ſanos, ut praeclaram beate vivendi, & apertam, & ſimplicem, & directam viam ſequantur, reprobentque eos, qui errore, & inſcientia miſcere ac perturbare non ſolum Chriſtiana; ſed etiam naturae praecepta conantur. Sed his explicatis, monſtrandae ſemitae ſunt, quibus pervenire adoleſcentes poſſint ad principia Juris naturae, & gentium intelligenda: qui ſic inſtituti, & quaſi deducti ad limina divinitus datae ſapientiae, tradantur viris doctiſſimis in diſciplinam.

XVIII. Sed dicet aliquis: Quid opus eſt his tot facultatibus ad tuendam, propagandamque religionem? Tu ne ergo nova methodo introducta explicatiſque Mathematicis, tot quaeſtiones tacitus praetermittes, quae agitatae a viris doctiſſimis ſunt, quae magni ſunt in Theologia momenti, quae acuunt mentes adoleſcentium? Ego ne novam introduco rationem docendi, qui veteres auctores vehementer ſequor, qui Platonis [a], Ariſtoteliſque probo de Mathematicis tra-

a Notum eſt illud Platonis, quo cavit, ne quis in Academiam expers Geometriae ingrederetur. Ariſtoteles autem cum in *I Ethicorum* Geo-

tradendis ſententiam, qui, ut ceteris, ſic in hac re maxime Thomam Aquinatem habeo praeceptorem? Non equidem novam infero, ſed veterem reſtituo inſtitutionem. Ac vellem profecto viveret Thomas: ſic cum hoc genere hominum ageret. Vos ne eam negligitis facultatem, quam ego dum viverem colui [a] tradique oportere adoleſcentibus dixi cum Ariſtotelis Ethica explicarem? Quid nunc vexatis meum, qui mihi jam inde a prima adoleſcentia dedit operam, *Summamque* Theologicam, atque eos libros, qui ſunt *Contra Gentiles* ter diligenter perlegit, verſavitque omnes fere meos in Ariſtotelis Opera Commentarios, quod praeſcripſerit Mathematicas, non copioſe, ſed ſtrictim eſſe hiſce adoleſcentibus exponendas? Intelligo quid loquamini: Non Chronologica, neque Geographica; ſed dogmata Religionis doceantur neceſſe eſt homines ſuperſtitioſi. O praeclaros interpretes Scripturarum! Vobis igitur auctoribus conticeſcet Defenſor religionis, ſi irrideri, impugnarique ab improbis videat Mechanica, Geographica, Chronologica, quae Sacris litteris continentur? At enim video, quorſum haec veſtra evadat oratio. In magnam vultis ſeſe ingurgitet, in magnam, inquam, vim, & copiam inutilium quaeſtionum, quas ego neglexi, quas eliminari oportere e Theologia conſtitui, ego

Geometriam laudat, tum *lib. II. Metaphyſicorum cap II. Edit an.* 1606. *pag.* 1252. Sophiſtas appellat eos, qui Mathematicas diſciplinas aſpernabantur, inter quos Ariſtippum recenſet. S. Thomas vero in III. Metaphyſicorum Lectione I. laudat *Mathematicas diſciplinas*, & quemadmodum locum inter Theoreticas ſcientias obtinent accurate exſequitur.

[a] S Thomam coluiſſe Geometriam ceteraſque Mathematicae facultatis partes, conſtat ex illius Operibus, non Philoſophicis modo; ſed etiam Theologicis. Joſephus Maria Thomas Tavella Dominicanus ſumma diligentia adhibita, multa inde collegit, quae propria ſunt Mathematicarum diſciplinarum, tranſtulitque in elegantiſſimam Orationem, quam *an* 1738. edidit: *Delle lodi di S. Tommaſo d'Aquino intorno all'Erudizione ſua &c. nelle humane lettere, e nelle arti*. Conſule Caroli Rabbii Auguſtiniani Bononienſis *Diſſertationem de Mathematicarum diſciplinarum ad Theologiam utilitate*. *Edit an.* 1729.

quas nullius eſſe uſus poſſe defendi [a]. Agite dum jam, nolo ego mei appellentur, qui meam contemnunt, averſanturque ſententiam. Haec ſi cum his Thomas loqueretur, nonne impetrare deberet, ut ſibi aſſentirentur? Quid ergo eſt, quod cum audiant a me, poſſint ullo modo repugnare? At repugnent, ſi volent. Eas ego diſputationes, quae obtundunt ſi fuſe copioſeque tractentur, ingenia auditorum, tacitus praeteribo. Fuſe dico, ne quis ullam mihi conflet invidiam. Non enim inficior, eas parcius pertractatas, ut factum a Thoma eſt, fietque etiam a me ipſo, conferre plurimum poſſe ad intelligenda opera multorum Theologorum. Sed acuant etiam copioſe tractatae. Quid? An eas perſequar, quae nihil commodi acuendo afferunt, ommittam illas, quae acuunt, & multas invehere in Eccleſiam poſſunt utilitates; Non faciam: AA, ac ne faciam in locum potius ſejunctum aliquem tamquam in piſtrinum detrudi, & compingi vellem. Ardeo, mihi credite, incredibili quodam amore religionis, qui me amor & facere inducit, quae ad eam confirmandam pertinent, & amputate, recidere, tollere, quae ab eadem diſtare videntur. Quod volent denique homines exiſtiment. Nullam rem, quae cum divinis conjuncta non ſit, quamdiu in hoc Collegio profitebor me eſſe Philoſophum cenſebo mihi eſſe amicam.

XIX. At enim audio graviora, quae diſſimulare non poſſum. Jactantur enim voces, quae perveniunt ad aures meas eorum, qui verentur, ne male noſtra locata ſit opera, cum abunde actum cum noſtris adoleſcentibus videatur eſſe, qui con-

---

a S Thomas *in Prologo in P. P. ſummae Theologiae*. „Conſideravi„mus, *inquit*, hujus doctrinae, „*Theologiae*, novitios, in iis, quae „a diverſis conſcripta ſunt, pluri„mum impediri. Partim quidem „propter multiplicationem inuti„lium quaeſtionum, articulorum, „& argumentorum . . . . Haec igi„tur, & alia hujuſmodi evitare Stu„dentes, tentabimus cum confi„dentia Divini auxilii, ea, quae ad „ſacram doctrinam pertinent, bre„viter, & dilucide proſequi &c. Conſulitor Melchior Canus *lib. IX. Locorum Theologicorum cap. I.*

congredi cum barbaris gentibus debeant, ſi leviter imbuti praeceptis Dialecticorum ſint, denique ſe totos ad addiſcendam moralem Theologiam. Jam hoc conſiderate cujuſmodi accuſatores habeat, quae eſt a me ratio conſtituta. Ignorant verſari in hoc Collegio, non Arabas ſolum, ſed Belgas, ſed Graecos, ſed Helvetios, ſed Britannos etiam, qui cum acutiſſimis philoſophis, quibus eorum regiones abundant, ſunt aliquando fortaſſe pugnaturi. Vidi ego in Graecia cum eſſem, AA, vidi, inquam, Conſtantinum Cordatum [a], vidi Cavacum, vidi alios qui Romae, & Patavii ſtuduiſſent majorum gentium haereticos, qui latinos noſtros vehementer inſectarentur. Scio apud Helvetios eſſe pleroſque, qui cum eruditi omnibus diſciplinis ſint, odio magno in Catholicam religionem feruntur. Scio a peſte illa Atheorum, Socinianorum, Presbyterianorum, Epiſcopalium oppreſſam eſſe Britanniam, qui partim naturae, partim Divinae religioni maxima vi, copiaque argumentorum interitum minitantur. Quid? Si Aegyptii quoque, ſi Arabes, ſi Malabari, & qui ſunt e magni Mogolis imperio, non minus eſſe debeant in hiſce rebus inſtructi? Percrebuit fama illa, perſuaſioque communis, inſtituta jam eſſe in Svetia, [b] in Belgio, in Britannia Collegia quaedam, e quibus qui prodeunt Juvenes Philoſophiam docti,

a Conſtantinus Cordatus Chius ſchiſmaticus floruit peritia Mathematicarum diſciplinarum Hunc ego vidi Chii cum eſſem. Erat autem noſtris Catholicis vehementer infeſtus Cavacus Monachus Baſilianus Chius, perinde ſchiſmaticus, qui cum Philoſophiam doceret, Orthodoxos inſectabatur.

b Collegium a Belgis Pſeudo reformatis inſtitutum ob eam rem memorat Jo Albertus Fabricius in *ſalutar. Lucae Evangelii cap XXXIV. num* 2 Capite autem *XXXV. num I ſeqq.* Societatum Britannicae, Batavicae, Danicae, Svecicae meminit. Quin etiam refert earum ſtatuta, & conatus, quibus non tam dilatare, quam evertere ſtudent religionem. Extat Epiſtola Johannis Lockii impii haeretici. *Inter ejus Opp. Poſthuma edita Londini an.* 1714 *de Societate promovendi Religionem Chriſti*, ut haereſis Anglorum poſtulat. Atque ut Fabricius adjungit, in utramque Indiam, in regiones Turcicas atque Sinenſes ejuſmodi falſi Miniſtri ſe conferunt, ut ſuos errores diſſeminent.

cti, imbutique ſuperſtitione, hi debeant regiones barbaras peragrare, ut ad ſuos errores illiciant, & efferatis moribus homines, & ſi poſſint noſtros etiam Orthodoxos, ſi quos offendunt. Cum his ſi confligere noſtri illi Theologi *Morales*: hos ſi reducere ad veritatem voluerint, ut eludendi argumentis erunt, quam omni ratione jactandi? Qui illis aeſtus? quis terror? quae tenebrae, Deus immortalis! erunt, hominibus minime doctis? Videant, qui ſic exiſtimant; etiam atque etiam conſiderent: mihi enim videtur periculum fore, ne illi non modo verbis obtuantur; ſed etiam abducantur ab inſtituta cogitatione.

XX. Age vero cum nullo docto, ſapienteque philoſopho certaturi ſint, an ſatius putant eſſe, juvenes ſplendido, excelſoque ingenio praeditos in ſumma ignoratione verſari, quam pollere eruditione atque doctrina? Veſtram ego imploro fidem, Auditores: Vos qui ſapientia, qui prudentia, qui maximarum rerum cognitione excellitis, qui animo comprehendiſtis mores, & inſtituta gentium variarum; vos inquam, judicate, rectene ſentiant, qui ſic accuſant, an mihi ſit adhibenda aſſenſio, qui cenſeam hac ratione eſſe in noſtro Collegio tradendam philoſophiam. Si decus Romanae Eccleſiae, ſi ſalus populorum, ſi Chriſtianae Reipublicae honos apud vos valet, valet autem, ut video, plurimum; ſtatuetis ita, me Deus amet, quod ratio, majoreſque noſtri requirunt; negligere eum utilitatem Eccleſiae, ſua, non vero Collegii commoda quaerere abuti tempore, ſtudio, & patientia diſcipulorum, qui leges haſce, atque inſtituta migraverit, aliamque inierit longe diverſam rationem docendi.

XXI. Veſtrae nunc partes ſunt, Adoleſcentes, veſtri animi, atque virtutis eſt declarare, non eos eſſe vos, qui deſidia languere, qui verbo ſtudiis dare operam, re vera nihil agere velitis. Cogitate etiam, atque etiam qui ſitis, quo conſilio huc veneritis, quid a vobis Collegium hoc Urbanum, quid ejus inſtitutores, quid Eminentiſſimi Patres, quid Roma, quid Romanus Pontifex, quid Chriſtiana univerſa Reſpublica poſtulet. Manent vos monſtra, hominum, improborum

caeca

caeca quidem crudelitate, ſcelere, ſuperſtitione, ſed quae plurimum poſſint Philoſophia. Agite, id quod veſtrum ingenium flagitat, ſi virtutem, ſapientiam, bonitatemque diligitis; conferte laborem, diligentiam, vos totos ad haec genera ſtudiorum. Parate vobis praeſidia, quibus confligere ſtrenue cum inimicis poſſitis, & eos victos reducere ad veritatem, adjuvareque tot gentes in ſumma ignorantia, periculiſque vitae verſatas, quae nunc ſpe veſtrae virtutis erigere animum, & paullum reſpirare a metu videntur. Repetite memoria praeclare geſta illorum, qui ante vos in hoc Collegio in litteris operam conſumſerunt, ac videte quos illi homines, quibus moribus, qua pertinacia ad veram religionem colendam induxerint, atque inde vobis exemplum ſumite. Recte hoc repetitur a vobis adoleſcentes, ut omnes intelligant, nullum in hoc Collegio ſegnitiae, atque ſocordiae eſſe locum, vigere autem ſtudia oportere virtutis, atque doctrinae. Id ſi a vobis conſequar, quod me plane eſſe conſequuturum confido: quidquid in me eſt laboris, conſilii, ingenii: Quidquid diligentia, opera, aſſiduitate, poſſum, id omne ad vos inſtituendos, vobis, & Eccleſiae univerſae polliceor, ac defero. Haec autem ego non mea virtute, neque viribus fretus promitto, ſed multis Dei Optimi Maximi ſignificationibus, quo ego duce ſum in hanc ſpem, ſententiamque ingreſſus, qui praeſens ſuo numine, atque auxilio Collegium hoc defendit, quem ego precor, atque imploro, ut quam Eccleſiam inſtituit; hanc omnibus inimicis ſuperatis, per eos qui nunc ſunt perque vos, qui eſtis aliquando futuri Praecones religionis augeat, confirmet, ac tueatur.

FINIS.